



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Disputatio 16. De infidelitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

de illa dubitare, cum Dei, & Ecclesie auctoritas omni humanæ auctoritati præferenda sit. Difficultates verò quæ hic occurrere poterant infra in materia de hæresi tractabuntur.

DISPUTATIO XVI.

De infidelitate.



Inimus de peccatis fidei contrariis, quæ in hominibus fidelibus inueniri possunt: sequitur dicendum de alio genere peccatorum, quæ propria sunt infidelium, & generali appellatione, incredulitatis nomine significantur: prius autem, quam ad alia procedamus, generalis quædam huius vocis æquiuocatio tollenda est: nam sicut duplex est fides, una moralis, & altera Theologica, ita infideles etiam in Scriptura interdum dicuntur ab infidelitate virtuti morali contraria, interdum verò ab altera, quæ fidei catholice opponitur. Priori modo dicitur Isaia 1. *Principes tui infideles*, utique in muneribus suis præstaudis. Vnde Hieronymus, inobedientes vertit, sic etiam Ecclesiastes 5. *Dispicit Deo infidelis, & stultus promissio*. Posterior verò significatio frequentior est, præsertim in nouo testamento 2. ad Corinth. 4. *Excacuit mentes infidelium*, & 1. ad Corinth. 7. *Si infidelis dycedit, dycedat*, 1. ad Timoth. 5. *Factus est infidelis deterior*. In præfenti ergo, solum de infidelitate Theologicæ fidei opposita tractamus, & prius generali ratione de illa dicemus, postea verò ad peculiare modos eius, & ad diversos gradus infidelium, & præsertim ad illos, qui ante baptismum, vel post baptismum in hoc vitium inciderunt descendemus. Tractat autem præsentem materiam D. Thom. 2. 2. quæst. 10. Et illius expostores ibidem, reliqui Scholastici nonnulla disputant in 3. dist. 24. & sequentibus.

Duplex acceptio infidelitatis exponitur.

SECTIO I.

Quale peccatum sit infidelitas, & quibus modis generatim committatur.

Infidelitas esse peccatum de fide est.

IN hoc titulo supponitur infidelitatem esse peccatum: modum autem eius inquirimus. Et quidem assertio ipsa, quam supponimus certa est de fide, habetur enim expressa in variis Scripturæ locis Marci ultimo, *Qui non crediderit condemnabitur*, utique non solum propter alia peccata, sed etiam propter ipsam infidelitatem. Vnde dicitur Ioannis 3. *Qui non credit iam iudicatus est*, utique ex ipsa incredulitate, vnde subditur. *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*. Ioannis decimo quinto: *Sinon venissem &c. nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, scilicet infidelitatis, ut rectè Augustinus exponit, imò ipse Christus cap. 16. Nam cum de Spiritu sancto dixisset, *Arguet mundum de peccato*, illud exponit dicens, de peccato quidem, quia non crediderunt in me. Rationes etiam sunt evidentes ex superioribus dictis. Primò, quia diximus datum esse præceptum diuinum, & supernaturale, & valde etiam consentaneum rationi naturali credendi ea, quæ Deus dixit, sed infidelitas est contraria huic præcepto, ut ex ipsa vocis interpretatione iam data manifestum est: ergo est peccatum. Secundò dictum est, fidem esse necessariam ad salutem: contemnerem autem media necessaria ad salutem peccatum est, quia est ipsam salutem contemnerem: ergo infidelitas, per quam hoc medium abiicitur, peccatum est. Tertiò dictum est, fidem esse Deo debitam propter infallibilem veritatem eius; per infidelitatem autem veritas primà despicietur, ac si esset capax deceptionis, aut mendacii, quod est grauis eius iniuria:

Ratione etiam evidenter ostenditur.

ergo est etiam graue peccatum. De hac ergo veritate nulla est controuersia, nec difficultas. Ut autem hoc peccatum intelligatur, nonnulla explicare necesse est.

2. Et primò quia scilicet præcedenti diximus, aliud quod peccatum fidei contrarium posse esse in homine fidei, in quem non cadit infidelitas, necessarium est exponere, in quo differat, vel quid addat hoc peccatum infidelitatis supra illum defectum fidei, qui in homine fidei esse potest. Ad quod breuiter respondeo, de ratione infidelitatis esse, ut sit peccatum ita fidei contrarium ut omnino fidem infusam ab homine ex natura sua excludat, quæ potest esse quasi generalis descriptio infidelitatis, quæ tamen per effectum datur, non potest aut elari, aut breuius tradi. Et declaratur breuiter primò ex ipsa voce: nam est quasi priuatiua, & ideo absolute dicta significat carentiam veræ fidei: talis autem carentia omnino excludit fidem. Secundò ex ipsa ratione dubitandi posita: nam propterea ignorantia culpabilis fidei, quæ in homine fidei esse potest, non est infidelitas, quia simul esse potest cum verâ fide, & ideo non constituit hominem infidelem, neque illum ab Ecclesia excludit: ergo è contrario de ratione infidelitatis est, ut hunc habeat effectum, & sine illo nunquam potest rationem infidelitatis attingere, tum illo autem iam erit infidelitas, & hominem infidelem constituit, & ab Ecclesia apud Deum illum excludit.

In quo differat infidelitas a peccato alio commissionis contra fidem, quod est in homine fidei.

3. Oportet autem aduertere in duobus modis posse hoc peccatum infidelitatis ita consummari, ut prædictum gradum attingat, potest quæ hæc esse prima diuisio infidelitatis. Vnus modus excludendi fidem dici potest materialis, alter formalis, seu unus ex parte materię, & alter ex parte obiecti formalis. Priori modo inuenitur infidelitas in eo, qui totam fidem materiam ignorat, etiam si nihil de prima veritate, aut de diuina reuelatione audierit: ille enim formaliter non potest dici recedere à primâ veritate, aut illi discredere, cum ei non sit propofita, & nihilominus, quia tanta est ignorantia, ut omnino fidem excludat, illa est verâ infidelitas. Vnde si attentè res consideretur, hoc peccatum quantum ad modum formalem suum, & quantum ad speciem malitiæ, non differt ab illo peccato ignorantie vincibilis, vel erroris, quod potest esse in homine fidei, sed differt quoad totalem, vel partialem materiam, & hoc satis est, ut ab uno excludat fidem primæ veritatis, & non ab alio. Posterior modus infidelitatis contingit, quando quis habens sufficientem noticiam propositionis, & reuelationis fidei ab eiusmodi fidei veritate dycedit. Nam qui sic delinquit, etiam si in una tantum parte, vel propositione fidei dycedat, infidelitatem committit, & omnino fidem amittit, quia nihil potest credere ex testimonio primæ veritatis, & ita hoc peccatum longè differt ab ignorantia fidei, quæ in homine fidei esse potest: atque eadem est prima, & præcipua differentia inter hos duos modos infidelitatis.

Prima diuisio infidelitatis.

4. Potest autem alia differentia obiter notari. Nam hic posterior modus infidelitatis nunquam contingit sine peccato, quia nunquam est sine sufficiente aduertentia, & voluntate. Prior autem modus aliquando esse potest sine culpa. Vnde distinguere solet duplex infidelitas, una culpabilis, quæ priuatiua vocari solet, alia inculpabilis, quæ solet vocari negatiua: de qua, an detur, postea dicemus, negatiua tamen non potest, quod sit possibilis absolute loquendo. Ratio autem est, quia hæc infidelitas excludit cognitionem, & ideo si tanta sit carentia cognitionis, ut etiam voluntatem excludat, infidelitas continget sine peccato. Et ratio est clara, quia nec voluntarium esse potest sine aliqua cognitione, neque peccatum sine aliquo voluntario, hæc enim sunt principia notæ in moralibus. Contingere autem

Quæ sit infidelitas negatiua, quæ priuatiua.

autem potest, ut aliqui ignorantes totam Fidem, habeant aliquam notitiam professionis, seu predicationis illius, & negligentes sint in querenda, & inuestiganda sufficienti propositione Fidei, & ideo carentia eis sit voluntaria, & ad culpam imputetur, & huc est propria infidelitas privativa, & quæ est peccatum. Quapropter cum in assertionem dictum est, infidelitatem esse peccatum, vel subintelligenda est conditio generalis, & necessaria ad peccandum, scilicet si sit voluntaria, vel intelligendum est esse peccatum ex se, & nisi excusatio impotentie intercedat.

An infidelitas privativa peccatum commissio- nis sit, an omisio- nis.

5. Ex resolutione huius puncti oritur aliud necessarium exponendum, scilicet, an hoc peccatum infidelitatis, omisionis sit, vel commissionis, vel utriusque modi: nam quod sit tantum omisio suaderi potest, quia consistit hoc peccatum in quadam ignorantia, at vero ignorantia consummatur in carentia cognitionis, quæ est quædam omisio. Deinde infidelitas est peccatum oppositum affirmatio præcepto credendi: peccatum autem contra præceptum affirmativum est omisio: ergo. In contrarium videtur esse D. Thom. 2. 2. quæstione 10. articulo 1. indicat enim infidelitatem in sola commissione consistere: distinguens enim infidelitatem secundum negationem, & secundum contrarietatem, addit hanc posteriorem esse, quando aliquis repugnat auditui Fidei, & in hoc, inquit, propriè pericitur ratio infidelitatis, & secundum hoc infidelitas est peccatum, at vero resistere auditui Fidei commissio est. Idem indicat Caietan. in art. 3. dum ait, infidelitatem consistere in dissensu contrario Fidei, & adiungit, omnes infideles falsam opinionem de Deo habere, quod ad commissionem pertinet. Ratione item suaderi potest, quia omisio, quæ respectu Fidei mala esse potest, solum excludit exercitium Fidei: hæc autem non est infidelitas: nam hoc peccatum etiam in homine fidei esse potest, ergo non est peccatum infidelitatis, donec conspiciatur error contra Fidem, tale vero peccatum commissionis est.

Infidelitas peccatum, & omisio- nis, & commissio- nis com- muni potest.

6. Dicendum nihilominus est, infidelitatis peccatum, & omisionis, & commissionis esse posse. Probari potest primò ex distinctione Aristotelis primo posteriorum text. 37. de duplici ignorantia, negationis, & prave dispositionis, quarum prima similis est omisioni, quia per se actum requirit: secunda vero similis est commissioni, quia in actu contrario consistit. At vero infidelitas potest utroque modo haberi, scilicet vel ignorando tantum, vel errando: ergo priori modo est omisio, & secundo est commissio. Secundo declaratur à priori, & ex propriis, quia præceptum Fidei duplex est, ut supra vidimus, scilicet affirmativum audiendi, & credendi, & negativum non discedendi à Fide, nec credendi aliquid contrarium reuelatis: infidelitas vero contrahi potest an vnum, & aliud præceptum: ergo potest contrahi per omisionem, & commissionem. Probat consequentia, quia transgressio præcepti affirmativi est omisio, negativi autem commissio. Denique explicatur, & confirmatur in hunc modum: nam duobus modis potest quis resistere auditui Fidei, scilicet, vel nolendo audire, vel nolendo audita credere, & utroque modo potest contrahi infidelitas, ut ex dictis patet, prior autem modus per se pertinet ad omisionem: secundus vero ad commissionem.

Infidelitas privativa ad peccatum omisionis per se primo spectat.

7. Ut autem hoc melius intelligatur, simulque alios modos peccandi in hoc genere explicemus, supponenda est distinctio proximè data de duplici infidelitate, una privativa, & altera contraria, quarum prima invenitur in his hominibus, quibus vera Fides nondum est sufficienter proposita. Secunda vero in illis infidelibus reperitur, qui post sufficientem propositionem Fidei, illi resistunt.

Suarez de Fide.

Dico igitur prius genus infidelitatis per se loquendo esse peccatum omisionis, quia proximè opponitur præcepto audiendi Fidem, & per solam negligentiam, seu voluntariam carentiam cognitionis Fidei, sufficienter committitur. Contingit autem cum hac ignorantia coniungi errores contra veritates Fidei, vel supernaturalis, vel etiam naturalis, imò nunquam huiusmodi errores ab illa ignorantia separantur: Et quoad hanc partem illud peccatum est commissionis, vel contra Fidem, vel etiam contra rationem naturalem, quia consistit in actu indebitè, vel negligenter facto, quod satis est ad commissionem, quia verò tota malitia istius actus ex voluntaria ignorantia, seu carentia cognitionis provenit, ideo malitia illius peccati formaliter in omisione consistere videtur, quannvis materialiter sit commissio.

8. Circa alterum verò modum infidelitatis, Caietan. dicta quæst. 10. artic. 1. tres modos peccandi distinguit. Primus modus est discredendi, seu credendi falsa esse, quæ proponuntur, aut credendi contraria esse vera. Secundus est, nec credendi, nec discredendi, sed quasi suspendendi omnem actum intellectus. Tertius modus est dubitandi, & subdistinguit hunc in tria membra, quæ vocat per opinionem, vel per suspensionem, vel neutraliter, ut ait. Primus modus principalis huius infidelitatis à Caietano propositus verissimus est, & clarissimus, & in eo apertissime cernitur peccatum commissionis, & sine dubio in hoc genere peccati infidelitatis, est maximum, quia valde directè primæ veritati opponitur. Secundum modum videtur Caietan. proponere per modum omisionis, quia in illo non intercedit actus. Fidei contrarius, sed tantum carentia actus credendi præcepti: quomodo verò hoc intelligendum sit, statim dicam. In tertio autem modo difficilis mihi est subdivisio, quam Caietan. adiungit, & distinctio illius à cæteris membris. Nam opinio, quam primo loco ponit, esse potest, aut de falsitate rei propositæ, vel quod contraria vera sit, & in hoc sensu hoc membrum coincidit cum primo modo peccandi per dissensum: nam hæreticus non aliter dissentit rebus Fidei, quam opinando esse falsas, aut contrarias esse veras, & idem est de quolibet infidei, cui Fides sufficienter proposita est: vel potest intelligi de opinione eiusdem veritatis propositæ, ut si quis illi assentiatur opinando, nondum tamen firmiter credendo, & talis opinio per se loquendo non est peccatum contra Fidem: nam homo fidelis potest interdum assentiri rebus Fidei per Fidem humanam ex autoritate hominum, & non propterea peccat, Fides autem humana quædam opinio est. Neque necessarium est, ut qui huiusmodi assensum habet circa veritatem Fidei dubitet, vel formidet de certitudine eius, quia licet formido, quantum est ex parte formalis obiecti, sit de ratione opinionis, vel Fidei humane: non tamen ex parte subiecti: unde potest aliquis ita assentiri nihil formidando, nec de incertitudine cogitando: quod si quis opinetur, ut etiam formaliter dubitet iudicando rem illam non esse veram, sed incertam, aut dubiam, tunc iam habebit iudicium contrarium dogmatibus Fidei, quia non solum est de fide, reuelata esse vera, sed etiam esse certa, & infallibilia: atque hac ratione hic modus opinandi, seu dubitandi includit propositam infidelitatem per dissensum contrarium fidei, & ita reducitur ad primum modum infidelitatis Caietani, atque idem est de suspitione, quam secundo loco posuit Caietan. in hac subdivisio, quia ut ex Tullio docuit Divus Thom. 2. 2. quæ. 60. art. 3. suspicio nihil aliud est, quam opinio mali ex leuibus coniecturis. Unde in præsentī suspicio in materia fidei erit etiam opinio falsitatis ex leuibus coniecturis: talis ergo suspicio iudicium includit fidei contrarium,

Infidelitas contraria quomodo ad peccatum commissionis spectet.

trarium, quia sine aliquo iudicio non est opinio, ergo etiam hic dubitandi modus includit dissentium contra fidem, ac proinde reducitur ad primum modum infidelitatis ab eodem autore positum.

9. Denique tertius modus neutralis dubitationis videtur consistere in suspensione omnis assensus, vel dissensus: nam tunc maxime dicitur intellectus neutraliter se habere. In hoc autem sensu coincidit hic modus cum secundo principali diuisione, in quo dicebatur aliquis deficere à debita fide, quando neque credit, neque discedit: nam hoc est (vt dixi) neutraliter se habere, hæc autem dispositio præcisè spectata non videtur sufficere ad infidelitatem, neque ad dubitationem, quia potest quis suspendere actum circa illam materiam. Quapropter, nisi quis absterneat ab huiusmodi actu, ex aliqua cogitatione incertitudinis, vel dubitationis, non videtur illa dispositio sufficere ad propriam speciem infidelitatis. Quod si illa suspensio ex tali cogitatione proveniat, iam dubitatio non habetur sine aliquo actu veritatis, aut certitudini Fidei contrario, quod sufficit ad positivam infidelitatem. Vnde concludo omnem propriam infidelitatem, quæ post sufficientem fidei auditum committitur, esse peccatum commissionis includens virtutem hoc iudicium, quod res sic proposita potest esse falsa.

An infidelitas privativa & contraria sint peccata eiusdem speciei.

10. Ex quo tandem breviter resolui potest alia dubitatio hic occurrens, an infidelitas his duobus modis commissa, scilicet omittendo, & committendo, sit peccatum eiusdem speciei, vel diversæ. Et ratio dubitandi sumitur ex Diuo Thom. 1. 2. quæst. 71. art. 6. vbi simpliciter docet omissionem, & commissionem esse peccata eiusdem speciei. Nihilominus assero in hac materia illa peccata esse speciei diversa, sicut sunt in materia charitatis, non amare Deum tempore debito, vel odio habere illum, quia talia peccata manifestè habent distinctissimas ordinationes, & malitias: ita enim est in præfenti: nam infidelitas, quæ est per solam omissionem non opponitur directe formali obiecto fidei, & veritati Dei, sicut opponitur infidelitas commissionis, quæ propterea infert iniuriam longè maiorem, & diversæ rationis: ille autem locus D. Thom. habet suam difficultatem quæ ad hunc locum non spectat, & ideo breviter dico intelligendum esse permissivè, non vniuersaliter, id est, omissionem, & commissionem non includere semper speciem differentiam, non quod aliquando illam habere non possint. Nam hoc etiam sumitur ex eodem D. Thom. 2. 2. quæst. 79. art. 2. & 3.

SECTIO II.

Quam grave sit infidelitatis peccatum.

Status questionis.

Non inquirimus, an peccatum hoc eam gravitatem attingat, quæ ad peccatum mortale ex genere suo sufficiat, id enim tanquam manifestum supponimus, sicut proposuisse videtur Christus, cum dixit, qui non credit, iam iudicatus est, & alibi, qui non crediderit condemnabitur, & ex dicendis à fortiori comprobabitur; inquirimus ergo inter peccata ex suo genere mortalia, quem gradum, seu locum obtineat infidelitas quoad gravitatem suam: hoc autem à nobis potest duobus modis tractari, aut explicari, scilicet, vel absolutè rem ipsam inspectando, vel comparatè conferendo vitium hoc cum peccatis, aliis virtutibus, oppositis.

Peccatum infidelitatis est vnum ex gravissimis.

2. Priori modo solum dicere possumus hoc peccatum ex genere suo esse vnum ex gravissimis peccatis. In hoc conveniunt Diuus Thomas, & omnes, atque hoc significare voluit Augustinus tractatu 85. in Ioann. & libro tertio, contra duas epistolas Pelagianorum capite 3. cum dixit, peccatum absolute dictum quasi per antonomasiam pro peccato infidelitatis accipi, sic interpretans illud Ioann. 15. Si

non venissent, &c. peccatum non haberent, & illud c. 18. Argues mundum de peccato: hic vero modus significationis per antonomasiam, non solet usurpari, nisi quando res significata per nomen habet singularem excellentiam, vel excessum in ea ratione, qua significatur per vocem: imo non solet dici, nisi de eo, quod est maximum in tali genere: quod aliqua ratione convenit huic peccato, vt iam explicabo. Secundo declaratur hæc gravitas à priori, quia virtus fidei, licet non sit maxima, est vna ex præcipuis, ergo peccatum illi oppositum, vt est infidelitas erit vnum ex gravissimis, iuxta regulam Aristot. 8. Ethicor. c. 5. probatam à D. Thom. 1. 2. q. 73. art. 4. In moralibus illud esse pessimum, quod optimo contrariatur. Tertio ab effectu declaratur ex eo, quod cum quæsecum affert infidelitas. Nam in hoc excedit omnia peccata. Et ideo existimo in hoc esse antonomasiam fundatam. Primo, quia infidelitas radicis euellit iustitiam, nam cum fides sit fundamentum iustitiæ, quod alia peccata non auferunt iuxta definitionem Concilij Trident. Sess. 6. illud destruit infidelitas expellendo fidem, vt idem Concilium tradit, & ita omnino priuatur hominè iustitia à fundamentis eius. Vnde fit secundo, quod notauit Diuus Thom. 1. ad Timoth. 5. vt infidelitas confluat hominem in eo statu, in quo nihil Deo placitum facere possit, quia sine fide impossibile est placere Deo, non solum quoad personam, sed etiam quoad singulas actiones eius, vt in superioribus declarauimus, quod tanta exaggeratione solet tradere Augustinus, vt docere videatur nihil boni morales posse facere infidelem, vt maxime videlicet libro 4. contra Iulianum cap. 3. sed id temperandum est, & nunc sufficit, quod nihil facere potest infidelis, quod apud Deum valeat, vel ad imperandum, vel ad aliquo modo merendum. Vnde fit tertio, vt hoc peccatum difficilius curetur, quam cetera: quia cetera peccata relinquunt fidem, per quam potest homo aliquid impetrare, quo tandem ad meliorem mentem redeat, nam vt est vulgare apud August. epist. 105. & alibi, fides impetrat, quod lex imperat. Infidelitas autem cum tollat fidem, tollit omne principium quasi intrinsecum obtinendi auxilium, & remedium contra peccata. Quarto denique, sicut fides est radix ceterarum virtutum, ita infidelitas infinita secum affert vitia, præsertim contra Deum, vt irreligiositas, superstitio, ingratitudo, & similia: his ergo modis potest gravitas huius peccati absolute declarari.

Peccatum infidelitatis maximum omnium est in eo, quod infert.

Infidelitatis peccatum difficilius, quam cetera curatur.

3. Alius modus declarandi hanc gravitatem est per comparisonem ad alia peccata: triplex autem comparatio potest hic fieri, scilicet vel ad peccata contraria directe charitati, vel contraria spei, vel contraria virtutibus moralibus. In prima comparisonem dicendum est, infidelitatem non esse grauissimum peccatum, maius enim est odium Dei. Ita docet Diuus Thomas 2. 2. quæst. 34. artic. tertio, & probatur optimè ex regula posita Aristotelis, est enim charitas optima virtus, & odium Dei est summum peccatum illi contrarium. Ergo est maius peccatum, quam infidelitas. Item est optima ratio Diui Thomæ, quia in omnibus peccatis mortalibus maxima gravitas est, quam ex auersione à Deo habent, quæ auersio est virtuale quoddam odium Dei, quod etiam in ipsa infidelitate verum habet: ergo ipsum formale odium Dei, quod (vt ita dicam) est per essentiam tale, est sine dubio multo grauius peccatum. Secundam comparisonem in speciali facit Diuus Thomas 2. 2. quæst. 20. artic. 3. & resolut infidelitatem esse grauius peccatum desperatione, & reddit optimam rationem, quia infidelitas opponitur bono diuino, vt in se est, nimirum veritati eius, quia quantum in se est, facit ne Deum auctorem mendacii: ac verò desperatio opponitur bono diuino, vt participabili à nobis, & ideo

Infidelitatis odium vel excedit in ratione peccati.

Infidelitas grauius peccatum est desperatio.

& ideo minorem injuriam Deo infert, ac proinde non est tam grave peccatum. Que resolutio licet veritas sit, non caret aliqua difficultate, quia veropendetur ex notitia virtutis spei, & ex comparatione eius, in perfectione cum virtute fidei, illam remitto in materiam de Spe: nam presenti loco dicta sufficiunt.

4. Tertiam comparationem precipue facit Div. Thom. in hac materia. ex a. quæst. 10. art. 3. & resolutio est, infidelitatis peccatum esse gravius ex suo genere ceteris peccatis oppositis virtutibus moralibus. Probatur primo ex eodem principio Aristotelis: nam Fides est virtus excellentior omnibus moralibus, infidelitas autem est maxime opposita huic virtuti: ergo superat alia peccata, quæ tantum virtutibus moralibus opponuntur. Secundo ex obiecto, ex quo maxime solet gravitas peccatorum accipi: infidelitas enim est directe contra Deum ipsum, virtutes autem morales directe habent deordinationem suam circa materiam creatam: nam licet religio aliquo modo attingat Deum, & ideo peccata illi contraria formalem Dei injuriam continere possint, ut blasphemiam, idololatriam, & similia, nihilominus non ita immediate, & directe attingunt Deum ipsum, & in proprijs eius bonis internis illum offendunt, sicut peccatum infidelitatis. Tercio argumetur D. Th. quia vitia moralia proxime versantur circa obiecta creata, & ita solum virtute, & implicite avertunt hominem à Deo, & tantum secundum affectum: infidelitas autem de se directe avertit hominem à Deo, etiam quoad intellectum, quia verà Dei cognitionem auferit, vel per se ipsam, quatenus infidelitas est, ut Caietanus exponit, nam licet in infideli possit manere aliqua cognitio Dei, non tamen manet in eo quatenus infidelis est: vel certe infidelitas etiam auferit omnem cognitionem Dei supernaturalem, & quæ ad salutem possit conducere, & ac denique licet in infideli possit aliqua ex parte manere veritas circa cognitionem Dei, nihilominus tota cognitio, quam de Deo habet, & quasi componit ex varijs iudicijs, seu propositionibus quas de Deo format, non habet absolute veram cognitionem de Deo, quia nullus est Deus, qualis ab ipso concipitur, & quasi componitur, quod est gravissimum hominis nocumentum.

5. Contra dictam vero resolutionem obijci potest primo, quia ex illa sequitur omne peccatum contra fidem esse secundum suam speciem gravius quocumque peccato contra virtutem minus nobilem, quod videtur incredibile: nam peccatum culpabilis ignorantie fidei, quod etiam in homine fidei inveniunt potest, est peccatum contra fidem, & tamen non est gravius, quam homicidium, vel quam peccatum contra naturam, ut videtur per se notum. Ex quo enervatur fundamentum positum, quod scilicet vitium oppositum nobiliori virtuti sit gravius, quod alijs etiam exemplis ostenditur falsum: nam ebrietas gravius peccatum est, quam mendacium, & tamen veritas nobilior virtus est, quam temperantia, item timiditas est levius peccatum, quam intemperantia, ut D. Th. tradit 2. 2. q. 142. art. 3. & tamen fortitudo, cui timiditas opponitur, est nobilior virtus, quam temperantia. Ac denique fornicatio est maius peccatum, quam furtum, teste D. Th. 2. 2. q. 154. art. 3. & tamen iustitia, cui opponitur furtum, est maior virtus, quam castitas. Secundo obijciunt, quia infidelis in peccatis mortui gravius puniuntur, quam infideles: ergo signum est peccata mortalia posse esse graviora infidelitate. Antecedens traditur expresse ab Urbano Papæ, & habetur in c. Scimus, 12. q. 1. Consequentiam probat August. 4. de baptismo c. 20. imò in cap. 5. sentit avaritia, & ex certa scientia in homine fidei esse gravius peccatum infidelitate saltem ex ignorantia. Similia sumuntur ex Chrysostomo homilia 30. & similiter in id Matth. 18. Sit tibi tanquam Ethnæus, & publicanus, & Divo Thoma 1. ad Timot. 5. lectione.

6. Circa primam partem advertendum est, huiusmodi comparationem tribus modis posse intelligi, scilicet vel ex genere, vel in omni specie, vel etiam in omni individuo. Ex genere vocatur peccatum gravius, quando maxima species illius generis superat gravissimam alterius, etiam si non singula species unius generis comparata ad singulas alterius sint illis graviores. In specie verò dicitur peccatum esse gravius, quando comparatum ad aliam speciem, illam excedit, & idem est de excessu in individuo cum proprietate. Aliqui ergo in eo rigore intelligunt illud principium, quod peccatum nobiliori virtuti contrarium sit maius, ut verum sit non solum ex genere, sed etiam in omni specie: imò, & in omni singulari individuo peccato contrario nobiliori virtuti: Quod de individuo sentit Durand. in 4. dist. 22. q. 1. nu. 8. & tam de specie, quam de individuo, Vasq. 1. 2. quæst. 73. art. 3. & 4. Contraria vero sententia est communis Theologorum, quam ego indubitanter sequor: nam quoad species videtur sufficienter probari prima obiectione facta: & in naturalibus speciebus existimo sub nobiliori genere posse esse speciem aliquam minus nobilem, quam sit sub genere minus perfecto: & in virtutibus, cum una virtus possit habere actus specie distinctos, ut nunc suppono, fieri potest, ut perfectissimus actus inferioris virtutis excedat actum infimum virtutis nobilioris. Vnde cum peccatum oppositum virtuti, non semper opponatur toti virtuti, sed alicui actui eius, inde fieri potest, ut peccatum contra inferiorem virtutem sit maius in specie, quam aliud contrarium superiori virtuti, & ita credo heretice esse maius peccatum, quam odium proximi, etiam si opponatur charitati: De individuo autem licet verum sit speculative, & quasi physice loquendo, omne peccatum gravius specie, etiam in individuo esse essentialiter gravius, nihilominus moraliter loquendo, & in ordine ad offensionem Dei, simpliciter gravius esse potest in individuo, etiam si sit in inferiori specie: cuius signum est, quia gravius puniuntur in inferno, & consequenter in individuo divino, in quo tantum quis puniuntur, quantum deliquit. Item est optimum signum, quod peccatum gravius specie in individuo potest esse veniale, & in minori specie esse mortale, nam licet differentia mortalis, & venialis peccati sumatur ex avertione à Deo, nihilominus supponit diversitatem in gravitate conversionis, prout in re ipsa, & individuo committitur.

7. Ad primam ergo obiectionem respondeo, peccatum infidelitatis dici gravius cōparatione vitiorum moralium ex genere suo: hanc enim particulam semper addidit D. Thom. quæ in sensu prædicto intelligenda est, sicut communiter intelligitur. Vnde optime fit, maximum peccatum in specie infidelitatis, quod est infidelitas commissionis (ut supra illam explicavi) & præsertim hæresis, ut infra dicam: hoc, inquam peccatum esse gravius omnibus speciebus vitiorum moralium, nihilominus tamen recte fieri potest, ut infidelitas minus gravis, scilicet ignorantie, & omissionis, excedatur ab aliquo vitio morali, sumpto etiam in specie: & similiter fieri potest, ut in individuo aliquod vitium morale sit gravius infidelitate, etiam in specie gravius, & ita satisfactum est ad cetera exempla, quæ in illa obiectione afferbantur.

8. Circa alteram vero obiectionem advertendum est ex D. Thom. dicta quæst. 10. art. 3. ad argumenta, & in lect. 1. in cap. 5. Canonice Ioannis, inter fidelem, & infidelem triplicem posse fieri comparationem, una est simpliciter in statu secundum ordinem ad salutem æternam. Secunda est, in infidelitate comparata ad alias species peccatorum contra mores. Tertia est, in eadem specie peccati moralis ab infideli, & fidei commissi: In prima comparatione sine dubio sunt deteriores infideles, tum ob gravitatem

tripliciter comparatur infidelitas cum alijs peccatis virtutibus moralibus oppositis in gta mutata.

Interdum species generis inferioris præstat speciei generis superioris

Quid de simili comparatione inter individua.

Fit satis prima obiectioni in num. 5.

Satisfit 2. libidinem.

Quomodo dici possint graviora peccata fidelium quam infidelium.

peccati, tum maxime propter specialia nocumenta, quæ secum affert, & supra notata sunt, præsertim quia infidelitatis status caret omni principio intrinseco piz operationis, & constituit hominem in summo periculo, & damnationis, & quorumcumque peccatorum. In secunda comparatione excedit quidem infidelitas ex genere suo, ut dixi; nihilominus tamen potest sæpe fidelis esse peior simpliciter, & maioris demeriti apud Deum, quam infidelis, tum ob multitudinem peccatorum, tum ob gravitatem eorum in individuo. Et hoc expresse intendunt Patres citati, qui præcipue tertiam faciunt comparationem, & in ea dicunt regulariter, & moraliter loquendo gravius peccare fidelem, tum propter modum peccandi cum maiori cognitione, ac subinde maiori cum voluntate, ut sumitur ex 2. Petri 2. tum etiam propter maius scandalum, & quandam fidei iniuriam, & alias circumstantias, quæ facile considerari possunt, & ita illi obiectioni satisfactum est.

SECTIO III.

Verum infidelitas sit in intellectu, vel voluntate.

Resolut.

Hanc questionem proponit D. Thom. dicta questione 10. artic. 2. & in summa respondet peccatum infidelitatis esse in voluntate tanquam in generali principio peccatorum, esse autem in intellectu ratione suæ speciei tanquam in proprio principio. Ut autem hæc resolutio intelligatur, & explicetur amplius, explicandum est in infidelitate duo posse distinguere, unum est falsitas, vel (ut ita dicam) cæcitas mentis; alterum moralis malitia, & auctus, quæ constituit infidelitatem in ratione peccati, iuxta quæ duo alia etiam duo certa sunt. Primum est, falsitatem, & ignorantiam infidelitatis esse subiectivam in intellectu, vel in actu eius. Hoc manifestum est, quia contraria, seu supposita versantur circa idem subiectum; fides autem, cui opponitur infidelitas, est in intellectu: ergo in eodem est infidelitas. Item solus intellectus versatur circa verum, ut verum est, & solus etiam est capax luminis, seu visionis intellectualis; ergo solus est capax erroris, falsitatis, aut mentis cæcitatibus. Secundo est certum infidelitatem quoad malitiam, ac proinde in ratione peccati esse in voluntate. Probatur, quia sine voluntate non peccatur; nam ut dixit Augustinus. 1. retract. cap. 9. *Voluntate peccatur, aut recte vincitur.* Item quia contrariorum, ut dixi, eadem est ratio; fides autem, ut est actus humanus est in voluntate, ut supra dictum est; ergo & infidelitas. Denique, quia infidelitas potest excusari à peccato, etsi habeat defectum in intellectu, iuxta illud, *Si non venissem, & loquutus es fuissetis peccatum non haberent*: ergo tale peccatum per voluntatem committitur, iuxta illud Iohannis tertio, *Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.*

a. Dubium.
Verum infidelitas sit etiam in intellectu.

2. Ex his autem duo alia dubia oriuntur. Primum est, An malitia infidelitatis, atque adeo infidelitas, ut peccatum est, sit etiam in intellectu. Quod dubium tractavit in dicto artic. 2. Aragón, & constanter defendit malitiam infidelitatis esse in ipso intellectu, imò in illo esse primario, & ab illo derivati in voluntatem, & explicat se loqui de malitia non tantum obiecti, sed etiam actus moralis, ut talis est. Fundamentum est, quia licet actus intellectus habeat à voluntate, quod voluntarius sit, & liber, non tamen habet ab illa, quod sit malus; nam voluntas discedendi mala est, quia ipsum discedere malum est, & contra rationem, & contra Deum; ergo malitia prius est in intellectu ipso, & inde ad voluntatem derivatur. Nihilominus contrariam sententiam veram censo; pendet vero hæc questio ex alia generali quæ tractatur in 1.2. quæst. 10.

art. 1.2. & 3. An malitia moralis sit formaliter, & intrinsece in solo actu voluntatis, an etiam in exteriori actu ab illa imperato, & ideo brevissime illam expediam. Et in primis aduerto, quod licet infidelitas diuidi solet in externam, & internam, & externa proprie dicta, & secundum communem usum sit illa, quæ per aliqua signa sensibilia manifestatur, interna vero, quæ omnino in animo latet, ut latius dicemus tractando de hæresi, nihilominus in ipsa interna infidelitate duo distinguenda sunt; scilicet id, quod pertinet ad voluntatē, & quod ad intellectum spectat: nam hæc duo inter se comparando, actus intellectus est tanquam actus externus, quia sicut homicidium V. G. ut per manum consummatur, est actus imperatus à voluntate, & solus est voluntarius per denominationem ab illa; ita actus intellectus, quo aliquis fit infidelis, est imperatus à voluntate, & voluntarius, ac liber solus per denominationem ab actu voluntatis, quia, ut suppono, intellectus non est formaliter liber, sed sola voluntas: igitur sub ratione actus humani infidelitas intellectus est quasi actus externus in peccato infidelitatis, internus autem actus eius est in voluntate.

3. Unde ulterius considerandum est, actum intellectus (sub quo etiam actus semper comprehenditur) duobus modis spectari posse, scilicet, ut obiectum actus voluntatis, & ut actus elicited ab intellectu, & à voluntate imperatus, à qua habet, quod actus liber moralis, seu humanus sit, & sub utraque ratione potest actus intellectus habere bonitatem, vel malitiam; nam actus fidei V. G. priusquam ametur, & bonum obiectum honeste amabile à voluntate, & idem actus prout in refert ex imperio voluntatis est actus moralis honestus, & è contrario actus hæresis de se est prauum obiectum, & prout exercetur voluntarie est prauus actus moralis.

4. Dicendum ergo est, infidelitatem pro ut est in intellectu de se, & non ab actu voluntatis habere obiectivam malitiam, prout vero est moralis actus non habere aliam malitiam nisi quam participat denominatione à voluntate, atque ita simpliciter loquendo malitiam moralem, quæ moraliter constituit infidelitatem in ratione peccati intrinsece essentiam in voluntate, in intellectu vero per solam denominationem ab actu voluntatis. Primam partem probat ratio contrariæ sententiæ, quia actus fidei contrarius de se habet malitiam obiectivam, ut explicavi, & optime intelligitur per illam causalem propositionem, *quia dissentire à fide malum est, ideo velle dissentire est malum, & non è contrario.* Denique hæc malitia sumitur ex eo, quod talis actus intellectus est dissentaneus rectæ rationi, vel diuini legi, vel naturæ rationali, hanc vero disconuenientiam non habet à voluntate, sed ex se, & natura sua; sicut videre est in alijs actibus externis præsertim intrinsece malis, ut in fornicatione V. G. quæ mala est, quia dissona rationali naturæ, imò & in formis naturalibus idem cum proportionem inuenitur: nam calor V. G. malum est aque, quia est disconueniens illi ex natura sua, & sic de alijs.

5. Altera vero pars probatur, quia actus infidelitatis prout ab homine exercetur, tantum est vnus actus moralis simul cum actu voluntatis, sed ille actus habet totum esse morale à voluntate, à qua habet libertatem: ergo habet ab eadem moralem malitiam actionis, ut actio est, atq; ita tota illa malitia formaliter est in voluntate. Secundo declaratur amplius, quia in illo actu, ut composito ex actu voluntatis, & intellectu, tantum est vna malitia: ergo vel est intrinsece in actu voluntatis, in intellectu autem extrinsece, vel è contra, sed hoc posterius non potest dici: ergo primum. Antecedens probatur ex alio principio morali, quod actus externus non addit malitiam, vel demeritum actui interno: aliquam non per inter-

Pro resolu-
tione notan-
dum.

Notandum.

Resolutio.
Malitia obiecti
actus infidelitatis est in intellectu.
moralis in sola voluntate formaliter refertur.

1. Partis probatur.

Malitia obiecti
actus infidelitatis est in intellectu.
moralis in sola voluntate formaliter refertur.

Probatur pars 1.

Actus externus non addit malitiam non per inter-

non enim minus peccat, qui vult occidere, & illud non facit, quia non potest, quam qui occidit iuxta D. Thom. 1. 2. quæst. 10. art. 3. ergo signum est vniui esse malum in toto solo actu homicidij voluntarij, & tunc indiuisibiliter maneat in voluntate occidendi: idem ergo est in peccato hæresis, vel cuiuscumque infidelitatis. Et ex eodem principio, atq; eodem exemplo probata manet altera pars antecedentis, seu minoris, quia illa vnica malitia, tota potest manere in solo actu voluntatis, & non potest manere in solo actu intellectus, vel cum proportionem in alio externo: ergo signum est esse intrinsece in actu voluntatis. Et ratio à priori est, quia sola voluntas tendit in obiectum bonum, vt bonum est, & ideo in illa est tota formalis malitia, quod ex præsentī etiam patet à contrario: nam in actu credendi veritas quidem est in intellectu, formalis autem bonitas moralis est in voluntate, & ideo fides prout est in intellectu est virtus intellectualis, non moralis, nisi per denominationem à voluntate; ita ergo est cum proportionem in infidelitate.

6. Hinc verò nascitur aliud dubium, an hoc peccatum infidelitatis possit interdum committi solâ voluntate, id est in intellectu nullo modo consummetur, aut existat, quod dubium attigit Grëgor. de Valentia in suo tertio modo disput. 1. quæst. 10. propositione primâ, dubio 3. & sentit posse in aliquibus casibus ita accidere. Et probat primo à simili ex alijs peccatis, quæ extra voluntatem committuntur etiam cum plena malitia, vt constat in proposito mendiandi: ergo idem poterit contingere in infidelitate, quandoquidem actus intellectus est quasi externus respectu propofiti voluntatis, vt declarat. Secundo affert casus, in quibus ita peccari potest per infidelitatem. Vnus est, si quis credens habeat propofitum, si contrarium melius probetur illud credendi. Item si quis demonstratione conuictus credat animam esse immortalem, habeat autem propofitum conditionatum, quod non crederet, nisi demonstraretur: nam in vtroque casu ille est infidelis quoad voluntatem, & nondum quoad intellectum, quia adhuc eredit. Tertium casum adiungit de illo, qui propofitâ fide vult non credere, nec discredere: huiusmodi est infidelis voluntate, nondum autem intellectu, quia peripelle sum, non dū fidei resistit.

7. Mihi autem distinguendum occurrit inter peccatum infidelitatis actuale, id est, quod actuali vsu libertatis committitur actu considerando, & volendo, & habituali, id est, de culpa, seu macula infidelitatis, quæ manet cessante actu; de priori enim dicimus nunquam esse in voluntate, quin aliquo modo trahatur ad intellectum, & in illo quasi consummatur. Probatur primo, quia peccatum infidelitatis tale est, vt fidem excludat, sicut supra illud descripsi: ergo si est actuale peccatum infidelitatis in voluntate de se excludit fidem ab intellectu: ergo necessario illa infidelitas, quæ actualiter voluntaria est, in intellectu inuenitur: ergo ad voluntate infideli nunquam separatur infidelitas intellectus. Secundo est optima ratio, & differentia inter peccatum infidelitatis quatenus extra voluntatem in intellectu consummatur, & alia peccata exteriora, quæ per corporis membra executioni mandantur; nam hæc posteriora peccata non semper sunt in hominis potestate quoad executionem externam, vel non semper imperantur, & si desiderantur, propter varias occasiones: at vero intellectus in credendo, vel non credendo, seu differendo ad autum obedit voluntati, & si voluntas est efficax, non potest non sequi in intellectu, quod ipsa vult: ergo si voluntas actu peccat volendo infidelitatem, non potest non esse infidelitas in intellectu. Tertio id confirmari potest ex iisdem exemplis, quæ in contrarium afferbantur; nam qui ita credit, vel potius assensit animam esse immortalem, quia per demonstrationem convincitur, ha-

bens voluntatem sine demonstratione non credenda, illere vera caret in intellectu vera fide illius veritatis, imo habet errorem, existimans non esse credendum, nisi quod demonstratur; nam sine hac estimatione tale propositum non haberet: hoc autem iudicium hæreticum est. Similiter, qui paratus est ad dissentiendum rebus fidei propter aliquas rationes, si afferantur, eo ipso non credit, vt fidelis, seu certitudo fidei, & ideo etiam in intellectu infidelitatem habet; vel omisiuam, quia non credit, sicut oportet, vel commissiuam, quia iudicantes Fidei non esse infallibiles, ne dignas tanta certitudine. Denique illos, qui vult suspendere assensum, & dissensum, iam supra dixi, si id faciat, solum quia non vult exercere actum eo tempore, quo non tenetur, non solum non committere peccatum infidelitatis, verum etiam simpliciter non peccare, quod si id velit eo tempore, pro quo tenetur exercere actum Fidei, peccabit quidem non infidelitate, sed sola omissione exercitij actus Fidei, & tunc etiam illa omisiō in intellectu erit, si verò id faciat ex dubitatione fidei, necessariū illud dubium in intellectu existit; nunquā ergo voluntas actu peccat proposito infidei, quin infidelitas ipsa in intellectu existat. Et hæc quidem de infidelitate simpliciter, intelligenda sunt. Nam imperfectius quoddam infidelitatis genus posse in sola voluntate reperiri, infra dicemus disp. 19. sect. 4. in fine.

8. Altera pars de habituali culpa infidelitatis breviter declaratur, & probatur, quia peccatum infidelitatis semel commissum, postea non tollitur sola Fide, sed necessaria est poenitentia cum dilectione, vel faciamus, unde fieri potest, vt qui per hæresim peccauit, retrahat errorem, & ita tam voluntate, quam intellectu ad Fidem redeat, & sufficientem poenitentiam prioris peccati non concipiat; tunc ergo in intellectu infidelitatem non habebit; imò poterit habitum fidei infusæ recuperare, & nihilominus in eadem habituali culpa infidelitatis commissæ permanebit; sic ergo sine infidelitate in intellectu, potest illa quasi habitualis auersio in voluntate durare, quia re verâ illa duo inter se formaliter non opponuntur: nec in hoc alia difficultas occurrit.

SECTIO IV.

*Verum infidelitas rectè diuidatur in Paganismum,
Iudaismum, & hæresim.*

Diuifio hec utilis nobis futura est ad doctrinam spectantem ad varios infideles distinctè tradendam, & ideo hoc loco præmittimus, duos præcipuè circa illam explicandâ sunt; videlicet, quomodo membra distinguantur, & quomodo sufficenter exhauriant diuifum; vtrumque enim obfcurum est, & ratio difficultatis est, quia in his tribus infidelitatibus duo inueniuntur, scilicet varij errores positiui, vt sic dicam, seu opinionis falsæ, in quibus versantur, & renitentia contrâ Fidem diuinam, seu contemptus, vel abnegatio illius, & iuxta hæc duo potest dari diuifio, neutro autem modo videtur esse posse conueniens, aut sufficiens; ergo. Propterea prima pars minoris de distinctione errorum. Primò, quia illa distinctio est valde materialis in ordine ad infidelitatem: nam licet illi errores possint distingui vel materialiter ex rebus opinatis, vel formaliter in ratione Fidei humanæ, si ex diuerso humano motiuo fiat, nihilominus tota illa diuersitas est materialis, & physica, non formalis, & moralis in ratione infidelitatis, vt constat in diuersis hæresibus circa Trinitatem; v. g. vel Incarnationem: nam peccata sunt eiusdem speciei in ijsdem materijs. Vnde etiam fit, vt in illo sensu non possit diuifio esse doctrinalis, & sufficiens, quia errores contrâ fidem possunt in infinitum multiplicari, vt cum Aug. lib. de hæresib. in fine dixit D. Th. d. q. 10. art. 5.

2. Quod

Euasio.

Excluditur.

2. Assertio.
Paganismus,
Iudaismus,
& Hæresis
appositæ di-
tinent infi-
delitatem.

2. Quod si quis dicat, licet hoc sit verum de erroribus in specie, posse tamen ad quædam generalia capita reduci. Etiam hoc modo non sufficienter videntur illa tria capita numerari, quia præter illa est Atheismus, qui maxima infidelitas est, item erit aliquando Antichristianismus ab Antichristo, qui non solum Christianam fidem, sed etiam paganam persequetur sectam, & legem Iudæorum non seruabit: erit ergo aliud infidelitatis genus: imo addi potest pura quedam infidelitas, quæ philosophica dici potest, ut erit in illo, qui nec paganus, nec Iudæus, nec Christianus esse velit, sed tantum vnum Deum ratione cognitum solat. Altera verò pars minoris de distinctione formali patet, quia non inuenitur inter illa membra, ut postea videbimus.

3. Nihilominus dicendum est partitionem esse optimam, & necessariam. Ita tradit D. Thomas dicto articulo quinto, & communiter Theologi, habetque diuisio fundamentum in Scriptura: nam Paulus 1. ad Corinth. 1. illa membra distinguit, dum de Christiani persione dicit esse, *Iudæi scandalum, & gentium sul- titiam*, & prius hæreses posuerat, & alijs locis frequenter illa tria, ut distincta ponuntur: habet etiam fundamentum in vsu Ecclesiæ: nam in die pasce- ues volens pro infidelibus orare distincte orat pro hæreticis, paganis, & Iudæis, & in Concilio Ephesi- no mo primo, capite sexto, quod continet librum secundum D. Cyrilli Alexandrini, de Fide ad Regi- nas, in vltima eius sessione tres illæ infidelitates nu- merantur: Damascus etiam Papa in professione Fi- dei ad Paulinum Thessalonicensem, dixit hæreticos male sentientes de Filio, aut Spiritu sancto cum pa- ganis, & Iudæis sentire, vbi aperte ponit illa tria membra, & ferè eadem distinguit Augustin. in ora- tione, quam scripsit contra Iudæos, paganos, & A- rianos, & in Patribus sunt varia opuscula distincte edita contra has infidelitates. Præterea diuisio hæc virtute continetur in iure Ciuili, & Canonico: nam in Cod. libro primo, titulo octauo, duodecimo, & sequentibus distincte traduntur leges ad hæc tria genera infidelium pertinentes, & idem obseruauit leges Hispaniæ in parte septima, titulo 24. & sequen- tibus: solum differunt, quia loco paganorum Mau- ros proponunt, qui sub paganis continentur, & idem ferè obseruant iura Canonica libr. 5. decret. & Cle- ment. titulis de hæreticis, & Sarracenis.

Prædictæ di-
uisionis ra-
tiones variæ
morales.

4. Ex quibus in primis facio coniecturam, diui- sionem hæc in principio datam esse doctrinali mo- do (ut sic dicam) vel etiam iuridico propter commo- ditatem ferendi leges pertinentes, vel ad pœnas in- fidelium, vel ad eorum distinctionem quatenus sub- diti erant principibus Christianis, vel ad dirigendos ipsos fideles circa communicationem cum infideli- bus, ut postea videbimus. Similiter dari potuit pro- pter commoditatem doctrine, vel moralis, quæ cir- ca homines infideles magnam habet diuersitatem: vel dogmaticæ, quia ex alijs principijs agendum est contra hæreticos, & ex alijs contra Iudæos, ex alijs denique contra paganos. Propter has ergo rationes utilis est hæc diuisio, & accommodata. Postea verò Theologi rationem magis propriam huius diuisio- nis tradere conati sunt, & præcipua est illa D. Thom. dicto articulo quinto, quia infidelitas esse potest, vel contra fidem iam susceptam in ipsa manifestatione veritatis, vel contra fidem susceptam minus perfe- ctam, & in figura, vel contra fidem nullo modo rece- ptam. Primo modo constituitur hæresis: nam hæ- retici admittunt Euangelium, & Christi, & Aposto- lorum doctrinam, in qua est manifestatio veritatis, & nihilominus ab illa recedunt: nam ut de illis di- xit 1. Ioan. 2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis*: illorum ergo infidelitas est hæresis: in secundo ordi- ne constituitur infidelitas Iudæorum, nam illi ad- mittunt doctrinam, & legem Moysi, & promissio- nes Christi, seu Messie representati in sacrificijs, &

Ratio alia
Theologica.

figuris veteris testamenti, & ideo dicuntur recepisse fidem in figura, tamen quia resistunt manifesta- tioni veritatis, speciali modo infideles sunt: Paga- ni autem nullam fidem, nullam Scripturam, nul- lamque diuinam reuelationem recipiunt, & ideo contradicunt Fidei nullo modo receptæ: hac ergo ratione illi tres modi infidelitatis distinguuntur.

5. Oportet tamen circa hanc rationem aduerte- re duobus modis accipi posse, quod dicitur, infide- litatem opponi Fidei receptæ hoc, vel illo modo, vel nullo modo receptæ: scilicet vel subiectiue, vel obiectiue, ut ita rem breuiter comprehendam. Subiectiue ap- pello si quis existimet ad hæresim V. G. necessarium esse, ut aliquis prius in se receperit fidem infusam supernaturalem, & Christianam, & postea illam à se abiciat illam negando, ut sic hæreticus consti- tuatur, & simili modo Iudaismus supponat fidem prius receptam, saltem in figura, & postea negatam, Paganismus autem nullam fidem receptam, & ne- gatam supponat. Et hunc sensum indicant aliqui Thomistæ, quos sciam referam. Dico tamen esse sensum planè falsum. Primo, quia potest esse hære- sis etiam in illo, qui nunquam verè credidit, ut in fi- lijs hæreticorum, qui ab infantia in hæresi educa- tur, qui nunquam credunt Fide infusa, & licet ali- quo tempore excusari possint à peccato pro igno- rantiam inuincibilem, tamen quando postea suffi- cienter instruuntur, & tamen in suis erroribus per- manent, veram hæresim committunt.

6. Dices. Illi saltem habuerunt fidem quoad habitum infusum per baptismum, sed hoc parum eludunt, refert, quia illud fortasse conferre potest ad circum- stantiam apostasiæ, de quo in sectione sequenti, ad modum autem infidelitatis parum conducit, cum ex illo capite per se non varietur modus recedendi à Fide: præsertim quia contingere potest, ut etiam talis sit hæresis, ut in substantia baptismi errorem committat, & tunc neque habitus infusus in tali hæretico præcedit: & præterea etiam à Fide catho- lica aliquando professi transire quis potest ad Iuda- ismum, & ad Paganismum, unde etiam illæ infideli- tates esse possunt per desertionem fidei receptæ sub- iectiue in persona secundum manifestationem ve- ritatis aliquando credente: ergo non possunt in illo sensu distingui istæ infidelitates. Secundò, simile ar- gumentum fieri potest de Iudaismo. Nam omnes Iudæi non baptizati non habent fidem infusam, neque illam vnquam habuerunt etiam circa illam partem legis veteris, quam retinent, sed per quan- dam fidem, & traditionem humanam illam reti- nent ex parte, & in pluribus errant: ergo in illis et- iam non datur infidelitas contra fidem dicto mo- do in ipsis receptam. Superest ergo alius sensus ve- rus, quem obiectiuum appellauimus: quia ex parte obiecti, & reuelationis diuinæ susceptæ aliquo mo- do saltem per fidem humanam illa diuersitas inue- nitur, nam hæretici recipiunt reuelationem Fidei prout nobis propositam per Christum, & Aposto- los: recipiunt, inquam, admittendo scripturas no- ui, & veteris testamenti, & Christum, ut Messiam promissum iam nobis datum: & ideo proprie hæ- retici sunt, ut dixit Augustinus, ut sub nomine Chri- stiano à vera Fide Christi recedunt, Iudæi autem admittunt scripturas veteris testamenti, & pro- missiones Messie, & ideo dicuntur admittere Chri- stum in figuris, & promissione, negant autem in ve- ritate exhibitum, & consequenter scripturas noui testamenti non admittunt, & hoc modo habent specialem modum infidelitatis: Pagani verò nullo modo admittunt Christum, vel vllas scripturas di- uinas. Et ita ratio est optima, & sufficienter de- clarat distinctionem illorum trium membrorum.

Quomo-

Quomodo inter se distinguantur, Paganismus, Iudaismus, & Hæresis.

7. Ex dictis facile explicari possunt duo puncta in principio proposita. Primum erat, quomodo hæc membra inter se distinguantur. In quo Catech. 2. 2. q. 10. art. 5. sentit has tres infidelitates proprie, & in rigore esse specie distinctas, quod ibi Banhes, & Aragon sequuntur, & ita D. Thom. exponunt. Ratio est, quia distincta vicia possunt eidem virtuti opponi, si diuerso modo eius honestate destruant, vt si vnum per excessum, & aliud per defectum virtuti contrarietur, sed illæ tres infidelitates corrumpunt fidem diuersis modis, vt explicatum est: ergo differunt inter se specie. Et confirmatur, quia deficere à Fide semel suscepta, & in baptismo professâ, habet specialem malitiam, & deformitatem, quam non habet paganus, qui fidem non suscipit: sicut deficere in castitate, vel paupertate promissâ specialem deformitatem habet, quæ non inuenitur in eo, qui non promissit.

8. Nihilominus dico illas tres infidelitates non esse proprias, & rigorosas species, sed lato modo ita vocari propter accidentalem diuersitatem, & quia quasi diuersos status constituunt, de quibus, vt supra dicebam, doctrinâ moralis diuersa est. Itâ sentit Valentia citato loco, & est sententia communis recepta inter modernos Theologos. Et probatur contrario fundameto, quia illæ tres infidelitates opponuntur primæ veritati, & priuant eadem honestatem, & in modo non habent essentialem diuersitatem: ergo non est vnde distinguantur specie. Antecedens quoad priorem partem clarum est: quoad vltimam probatur veluti inductione quadam, quia illa peccata non distinguantur tanquam vitium per excessum, & defectum: quia vterque modus peccandi potest in omnibus illis infidelitatibus inueniri: nam hæreticus deficit non credendo quæ tenetur credere, & excedit credendo quæ non sunt credenda, & vterque modus facile potest in pagano, & Iudæo considerari. Deinde non possunt distinguî tanquam omnisio, & commissio fidei contraria, nam licet hæc duæ infidelitates distinguantur specie, vt supra dixi, tamen illa distinctio non potest ad hæc membra applicari, quia in Pagano potest vterque modus peccandi inueniri: nam si non habeat fidem sufficienter propositam, & solum per culpabilem ignorantiam, & negligentiam erret, vel non credat, erit infidelis omittendo, si autem post sufficientem propositionem fidei resistit, iam peccabit committendo, & idem cum proportionem in Iudæo inuenitur: hæreticus autem proprie dicta semper est peccatum commissionis: nam requirit pertinaciam, vt infra videbimus. Tandem etiam in homine Christiano potest inueniri culpa contra fidem per modum omissionis, vt supra dictum est: ergo non distinguuntur illæ infidelitates, si cum proportionem comparentur secundum illos duos modos, & propriè loquendo distinguuntur prout sunt commissiones contra fidem: hoc autem modo non habent essentialem differentiam in resistendi modo fidei. Quod probatur, quia idem contemptus diuinæ reuelationis, & iniuria primæ veritatis in omnibus his infidelitatibus, si post sufficientem propositionem doctrinæ fidei committantur, inuenitur. Nam quod vna infidelitas istarum magis, vel minus resistat scripturæ, aut reuelationi diuinæ solum indicat distinctionem in accidentali grauitate peccati: non in specie: nam eadē fere diuersitas inueniri potest in hæreticis inter se, vel inter Iudæos, & suo modo inter Paganos, si maiore Dei notitiam, vel fidei propositionem habeant, & ita responsum est ad principale fundamentum contrariæ sententiæ.

9. Secundo principaliter argumetor expendendo confirmationem illius opinionis: nam in illa videtur di-

cti authores supponere has infidelitates distinguî, quia opponuntur fidei receptæ ex parte subiecti, cuius contrarium nos ostendimus. Vnde videntur etiam supponere hæresim tantum esse posse in homine baptizato, quia in solo illo inuenitur fides professâ, seu promissâ (si tamen dicenda est promissio, quæ fit in baptismo, de quo aliquid dicam secl. sequenti) illud autem falsum est, nam Catechumenus potest esse hæreticus, si Christi fidem in generali admittat, & aliquam partem eius neget, quia ille est infidelis, & non est Iudæus, nec Paganus, vt constat: ergo hæreticus. Et patet quia sub nomine Christiano recedit à fide: ergo non est de ratione hæresis, quod sit contra fidem promissam. Deinde etiam Paganus, & Iudæus potest peccare contra fidem promissam, vt si Christianus baptizatus ad illas sectas deficiat. Respondet Catech. illum simul esse Paganum, v.g. & hæreticum: sed hoc est confundere apostasiam cum hæresi, quod non recte fit: nam apostasia potest esse circumstantia omnium infidelitatum, vt recte dixit D. Thom. q. 12. ar. 1. ad 3. siue sit aggrauans in eadem specie, siue mutans speciem, de quo secl. sequenti. Christianus ergo transiens ad Paganismum professum non habet duas infidelitates, quia vnum tantum assensum, vel dissensum habet contra fidem, & proprie tantum vnam iniuriam primæ veritati infert, & quamuis deficiat à professione fidei, illa non est noua infidelitas, sed apostasia, sicut in exemplo contrariæ sententiæ in peccante contra votum castitatis non est duplex malitia Luxuriæ, sed vni malitiæ contra castitatem adiungitur alia contra religionem, & similiter furtum religiosi non est duplex iniustitia, sed vna habens adiunctam aliam malitiam sacrilegij: sic ergo in præsentī malitia, si qua est contra promissionem fidei, adiungi quidem potest malitia infidelitatis in quolibet illorum membrorum, tamen sine dubio habet difformitatem diuersæ rationis ab ipsâ infidelitate.

An sit sufficiens predicta infidelitatis diuisio.

10. Secundum punctum erat de sufficientia illius partitionis, quæ etiam sufficienter patet ex ratione distinguendi illa membra, prout à nobis explicata est, quia duæ tantum sunt testamenta diuinarum Scripturarum, nouum scilicet & vetus, contra quæ peccari potest, vel neutrum admitteudo, & hoc pertinet ad Paganismum, vel admitteudo vetus, & non nouum, & hoc spectat ad Iudaismum, vel admitteudo vtrumque, non tamen illis vel iuxta illa integre credendo, & sic committitur hæresis. Dices, etiam aliqui errant admitteudo nouum, & non vetus vt Faustus, & alius quæ Aug. aduersarium legis, & Prophetarum appellauit, & in vniuersum Manichæi, contra quos omnes Augustin. scripsit. Respondetur ipsos fuisse hæreticos, & vt tales ab August. & Patribus damnari, quia refutando vetus testamentum, etiam à nouo recedebant, in quo illud confirmatur, & probatur, vel certe quia profitescentes Christum, prophetias, & figuras de Christo negabant. Vnde modo magis generali potest eadem sufficientia declarari: nam omnes, qui Christum Dominum recognoscunt, vt authorem fidei, & salutis, & eius fidem integre non retinent, sunt hæretici: qui verò illi non credunt, admittunt autem prophetias, & figuras de Messia promissas, sunt Iudæi; reliqui vero omnes, qui fidem Christi, vel Messie nullo modo admittunt sub Paganismo continentur: præter hæc autem membra nullum excogitari potest: est ergo diuisio sufficient.

11. Solum video posse dubitari, quia hoc modò explicata diuisio solum videtur habere locum post lucem Euangelij, cum tamen infidelitas, & hæresis semper esse potuerint etiam in lege veteri, vel nature. Propter hoc potest diuisio istiusq; sufficientia abstractiori modo declarari per ordinem ad reuelationem

Quasi Catech. spondet.

Ad confirmationem in n. 7.

Dicta sufficientia declaratur.

Obiectio.

Solutio.

Declarat. 2.

Declaratur, & generalitas dictæ diuisionis sufficientia.

lationem Dei, cui infidelitas opponitur; aut enim aliquis nullam Dei revelationem sibi propositam suscipit, & hic est Paganus, & talis esse potuit à principio mundi, vel aliquis accepta revelatione sibi expresse proposita, & illi ex parte credit, saltem materialiter, non tamen integram fidem adhibet quoad omnia reuelata, & iste incidit in hæresim. Vnde hoc modo potuit Iudæus etiam ante aduentum Christi fieri hæreticus negando aliquem articulum ex his, qui cadebant sub fide explicita illius temporis, vt verbigratia, articulum resurrectionis, & hoc nomine solet in Scriptura talis error etiam inter Iudæos appellari, & illi etiam sic credentes inter hæreticos ab Epiphano, & alijs numerantur: & eadem ratione si Iudæus tunc totam fidem Moysis abnegaret, & ad ritus Gentiliū ex animo transiret, in Paganismum incidere, & idē est cum proportionē dicendum de tempore legis naturæ: hoc ergo modo potuerit illi duæ species infidelitatis esse antiquiores lege Euangelica, ac vero Iudaismus ante aduentum Christi locum non habuit, quia nondum manifestata veritate, neque impleta promissione aduentus Christi, nondum poterat speciali infidelitate peccati contra fidem aduentus eius, admittendo promissiones eius, in quo Iudaismus proprie consistit.

12. Contra hanc vero partem, & hunc discursum videtur sentire Banhes 2. 2. quæst. 10. art. 5. & ab illo potest sumi obiectio, quia Iudæus à sua Fide deficient in lege Moysis non resistebat fidei expresse reuelatæ, sed tantum in figura: ergo non incidebat in hæresim, sed in Iudaismum, & ita ipse Banhes fatetur: imo idem asserit de infideli errante in fide in lege naturæ, & de Gentili, qui esset fidelis ante aduentum Christi, & postea fieret infidelis: non admittendo prædicationem Euangelij: nam de illo dicit, infidelitatem eius pertinere ad Iudaismum, non ad Paganismum, quantum ad rem spectat, quamuis quoad nomen non ita illi accommodatur, quod ex natione sumptum est. Sed hæc sententia probari certè non potest, nam Iudaismus proprie consistit in infidelitate aduersus Christum, qui iam venit, expectando futurum, item quia Iudæi nunc non sunt infideles propria, & speciali infidelitate, quia resistunt legi Moysis in se ipsa (vt sic dicam) sed quia resistunt veritati reuelatæ, quæ in lege Moysi figuratæ, & prophetice continebatur, qui modus infidelitatis non inueniebatur in Iudæo deficiente in ipsamet lege Moysi. Denique illa sententia, & ratio eius ex quadam æquiuocatione procedit, quam vitare oportet. Diximus n. supra fidem implicitam non inueniri nisi in aliqua explicita. Vnde Fides quæ erat sub lege Moysi, licet esset implicita, & in figura respectu mysteriorum legis nouæ, tamen erat explicita respectu veritatum, quæ tunc expresse credendæ proponebantur, & ideo qui tunc deficiebat in aliqua illarum veritatum, non resistebat Fidei implicitæ, sed explicitæ illius temporis, & ideo in veram hæresim incidebat: nam si quis recte consideret, eandem proportionem seruabat illa infidelitas ad propositionem Fidei, quæ tunc erat, quam seruat nunc infidelitas hominis Christiani sub illo nomine deficientis à Fide expresse proposita in lege Euangelica. Et eadem proportionem loquendum est de simili infidelitate in lege naturæ, seu in homine gentili fidelis. De vltimo vero casu Gentilis prius fidelis, & postea non admittentis Euangelium distinguendum censeo; nam si ille haberet fidem Christi venturi, & illam expectationem eius conseruaret, meritò censeretur incidere in Iudaismum, si vero nullam fidem de Christo habebat, neque illius fidem omnino vellet admittere Paganus censendus esset, & ratio vtriusque satis constat ex dictis, & magis statim explicabitur.

Virum Hæresis, Iudaismus, & Paganismus possint in eodem homine simul inueniri? & quæ illorum sit grauior.

13. Ex dictis aliud hic expediendum est dubium, quod Caietanus, & alij attingunt, nimirum an istæ infidelitates possint in eodem homine simul inueniri. Dico autem simul, nam per successionē, & transitum ab vna ad aliam nulla potest esse dubitandi ratio, quin non solum possit, sed etiam aliquando ita fiat. Quod autem possint esse simul saltem duæ illorum, scilicet hæresis, & Iudaismus: & hæresis, ac Paganismus affirmat Caietan. & sequuntur alij, & probat in homine Christiano transeunte ad Paganismum, vel Iudaismum; non sic autem sentit de Paganismo, & Iudaismo inter se, quia manifestam inuoluit repugnantiam, & contradictionem, quod verissime dicunt. Ego autem eandem inuenio per se loquendo inter hæresim, & quamlibet aliarum infidelitatum, quia hæresis proprie non est nisi sub nomine Christiano, id est, in eo, qui credit Christum venisse, vt Redemptorem, quod tam Paganismo, quam Iudaismo repugnat. Exemplum autem, in quo contraria sententia nititur, procedit ex alia falsa opinione, quod apostasia sit species infidelitatis, quod falsum esse statim ostendimus. Vnde respondemus, Christianum transeuntem ad Paganos, vel Iudæos esse simul infidelē specie, & apostatam, non autem proprie hæreticū. Dixi autem per se has species non posse simul inueniri, quia per accidens, & ex conscientia erronea posset in vno casu hæresis coniungi Iudaismo, vt si nunc infidelis Iudæus non solum repugnaret Christianæ fidei, sed etiam inter credenda in lege veteri aliquid negaret, & esset Iudæus propter priorem causam, & in conscientia hæreticus propter posteriorem: non quidem eo modo, quo nunc dicitur hæreticus, qui sub nomine Christiano hæresim proficetur, sed eo modo, quo diximus etiam sub lege veteri potuisse per hæresim peccari: nam ex conscientia erronea ita homo ille segeret.

14. Secundo intelligitur ex dictis, quo modo illa tria membra differant saltem in grauitate accidentalī, quantum enim ex D. Thoma 2. 2. dicta quæst. 9. art. 6. colligitur, se habet tanquam excedens, & excessum: nam intensiue (vt sic dicam) hæresis est grauior, quia committitur cum maiori contemptu, ex genere loquendo; quia hæreticus habet maiorem cognitionem diuinæ fidei, cum Christi, & Apostolorum, & Ecclesiæ Christi doctrinam admittat: Vnde etiam fit, vt maiorem habeat propositionem materialis fidei, & ideo grauius peccat proprio iudicio errando circa eandem doctrinam, iuxta illud 1. Petri 2. Melius erat illi non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti. Et August. 21. de ciuitate cap. 25. Peior, inquit, est desertor fidei, & ex desertore oppugnator eius effectus, quam ille, qui non deseruit quam nunquam tenuit, & Chrysostom. homil. 50. ad populum id optime explicauit dicens, qui sub nomine Christiano recedit à fide esse peiorē Gentili, Quia impietas Gentilium quandam (inquit) habet consecutionē: hac autē impietas, neque consequentiam habet, nimirum quia in eadem fide, quam proficetur errat Deum (vt ait) confitendo, & in ijs, quæ dicit illum fide dignum non censendo. Idem docet D. Hieronym. l. 1. c. 18. Et eadem ratione, ac proportionem Iudaismus est grauior Paganismo, scilicet intensiue, vt declarauī: ac vero extentiue Pagani plius peccant, quia in pluribus errant, & eadem est comparatio Iudaismi ad hæresim. Vnde obiter annotare oportet, quamuis istæ species in rigore non sint diuersæ, nihilominus declarandas esse in confessione, quando Christianus baptizatus in aliquam illarum incidit, quia notabiliter differunt in modo, & in grauitate, & diuer-

Opinio Banhes contraria.

Refellitur.

Opinio contra Caietanum & alios.

Vera resolutio.

Quænam haereticum infidelitatum sit grauior.

Species infidelitatis necessario attendenda in confessione.

diversis remedijs indigent, quin potius etiam intra eandem speciem hæreticis, v. gratia, declarandi sunt errores, in quos peccator incidit propter eandem rationem, quod prudenter annotat Valent. 2. 2. q. 10. punct. 3. & q. 11. punct. 1. difficult. 1. Sanch. lib. 2. Decal. c. 7. n. 17.

15. Vltimo ex dictis patet responso ad rationem dubitandi in principio positam, concedimus enim partitionem non esse omnino materialiter intelligendam, vt res est probant, quæ ibi adducta sunt, & omnes D. D. farentur, neque etiam distinguuntur secundum rigorosam formalem rationem specificam, nihilominus tamen, vt diuisio sit sufficiens facta est, vt ad modum specierum per quosdam particulares modos inter se repugnantes, & fidei contrarios membra distinguatur vt dictum est, neq. exempla ibi adducta extra diuisionem inueniuntur, nam quicunq. vel reuelationem diuinam, vel Christum Dominum non credunt, ad Paganismum pertinent, siue sit Atheus, siue Deum verum per rationem aliquo modo cognoscat, imo etiam nisi nullum errorem contra rationem naturalem habere cõtingat, quod certe in Paganis nunquam contingit: infidelitas autem Antichristi, & sub illo facta ad Iudaismum pertinebit, vt ex alibi disputatis de Antichristo patet.

SECTIO V.

Primum Apostasia sit species infidelitatis, vel circumstantia eius, & qualis.

DE Apostasia separatim disputauit D. Thom. 2. 2. quæst. 12. quia tamen cum infidelitate in iure coniungitur, & eadem ferè habet pœnas, ac proinde doctrina moralis ad illas pertinet, ferè eadem est, ac deniq. quia apostasia circumstantia est infidelitatis valde illi coniuncta, ideo propter breuitatē, & claritatē commodius visum est illam hic adiungere. Apostasia ergo idem est quod retrocessio, seu desertio instituti, semel suscepti cum animo, vel obligatione permanendi in illo; nam apostatare idem est, quod deficere, seu retrocedere, semperq. in malam partem sumitur pro desertione iniqua, & incõstanti, & aliquando iuxta vsū Latinorum dicitur etiam de rebus ciuilibus, vt apostatare à Rege, vel Imperatore, vt bene aduertit Decian. in tract. Crimin. lib. 5. cap. 7. num. 1. Iam verò ex vsu Ecclesiasticoproprie dicitur respectu Dei, vel rerum diuinarum, iuxta illud Ecclesiastici 2. *Initium superbia hominis apostatare à Deo.*

1. Præterea hæc apostasia à Deo, in tria membra distinguitur à D. Thom. q. 12. art. 1. & Gloss. in cap. 1. de Apostatis, vbi Innocent. Hostiens. & alij: diuiditur igitur in apostasiam à religione, ab obedientia, & à Fide, & prima diuiditur in apostasiam ab ordine, & à professione religiosa, de quibus principaliter tractat titulus Decretalium de Apostatis, & iterantibus baptisma, & pertinent ad materiam de Ordine, & statu religionis. Secunda apostasia ab obedientia in vno sensu generalissima est, & dici potest de omni peccato mortali præsertim quando ab homine, qui antè iustus erat, committitur, quomodo Angeli, qui peccarunt apostatare, & rebelles solent à Patribus dici, vt videre est in Gregorio Nazianz. orat. 18. & 42. & sic etiam Anacletus Papa in epistola 1. Decretalium dixit, sponte transgredientes legem apostatas nominari: Speciali autem modo possunt in hoc ordine dici apostatare, qui à Pontificis obedientia recedunt, & hoc modo se ab Ecclesia separant. Verum tamen etiam hæc apostasia, licet cum hæresi frequenter sit coniuncta, tamen ad infidelitatem non spectat, sed sub vitij charitati oppositis ponitur à D. Thom. 2. 2. quæst. 39. sola ergo apostasia à Fide ad præsentem tractationem spectat, de qua primò dicendum est, quid sit necessarium, vt illa committatur, deinde quomodo ad infidelitatem committatur.

3. Circa primum conueniunt omnes, ad apostasiam requiri, vt Fides iam suscepta deferatur; itaq. iuxta distinctionem datam sect. præcedente, sicut ibi diximus ad hæresim non esse necessarium, vt ex parte subiecti præcesserit Fides in hæretico, ita nunc è contrario dicimus ad apostasiam hoc esse necessarium: ita enim docet D. Thomas citatus, & omnes Theologi cum eo, item iuris Canonici interpretes, quos late refert Farinac. tract. de Hæresi quæst. 183.

2. Et ipsum nomen, ac ratio id præ se fert: nam apostasia consistit in recessu, nemo autem recedit nisi à termino in quo prius existeret. Dubium autem est, qualis, & quantus esse debeat hic recessus, vt apostasia sit: in quo est communis opinio, necessariam esse totius fidei, & ipsiusmet Christi abnegationem, iuxta quam sententiam apostasia solum inuenitur in illo homine, qui ex Christiano ad Iudaismum, vel Paganismum transiit, non verò in illo qui sub eodem Christiano nomine hæreticus fit. Ita tenuit Guido Carmelita in libro de hæresibus. Turcremat. in Summ. de Ecclesia lib. 4. part. 2. capite 13. consentit Syluest. verbo *Apostasia* in principio, Caietanus dicta quæst. 10. art. 5. & quæst. 11. art. 1. & ibidem Banhet, & quæst. 12. artic. 1. iisdem locis Aragon, Cano libro 12. de locis cap. 9. ad secundum, & Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione capite 7. & libro 1. de Hæresibus cap. 4. tenet etiam Valentia in dicta quæst. 10. punct. 1. dub. 3. & quæst. 11. punct. 1. & q. 12. punct. item 1. & Sanch. dicto lib. 2. c. 7. nu. 15. & Azor tom. 1. institut. moralium lib. 8. cap. 17. quæst. 3. & Hugolinus de censuris Pontifici reseruat 2. part. capit. 1. sect. 1. numer. 7. & alij quamplures Iuris Canonici interpretes, quos refert, ac sequitur Farinacius tract. de Hæresi q. 183. §. 2. Theologi vero in confirmationem communiter adducunt modum loquendi Patrum, qui Iulianum Imperatorem non hæreticum, sed apostatam nominarunt, vt ex Ambros. & Hieronym. refertur in cap. *Iulianus*, & in cap. *Imperatores*, 3. quæst. 7. quia omnino Christum negauit, alios vero qui sub nomine Christiano à fide defecerunt, vt Constantium, & alios, vocarunt hæreticos non apostatas, quod ex Nazianz. notauit Iacob. Billius in vita eius metro scripta num. 54. Ratio autem solum reddi potest, quia illa sola est perfecta rebellio, & separatio à Christo, qui nomine apostataz simpliciter dictæ significatur.

4. Nihilominus contraria sententia videtur sumi ex Diuo Thoma dicta quæst. 12. art. 1. nam ibi in corpore ad apostasiam solum requirit, vt ille qui erat Deo coniunctus per Fidem ita ab illa separatur, vt per Fidem non maneat illi coniunctus, quod fit etiam per hæresim. Vnde in solutione ad secundum ita exponit verba Prouerb. 6. *Homo apostata vir inutilis*, quia, inquit, nihil facere potest, quod Deo placeat, quia sine fide impossibile est placere Deo: ergo ex mente D. Thomæ, & iuxta sententiam sapientis, qui ita deficit à Deo, vt fidem etiam amittat, verè est apostata; hoc autem contingit hæreticis, etiam si sub nomine Christiano à Deo recedant. Secundo fauet huic sententiæ Cyprian. lib. 1. epistola secunda, alias epistola 54. Vbi inter Apostatas numerat tam Gentiles, quam eos, qui ad hæreticos transeunt. Tertio facit, quod in iure sub titulo de *Apostatis* poni solent etiam hæretici, vt videre est in lege vltima capit. de *Apostatis*, & in capit. *quodam de Apostatis*, vbi illi dicuntur apostatare, qui cum professione Christiana legalia coniungunt, qui profecto hæretici sunt.

5. In hoc puncto potest fortasse quæst. de nomine miseri, & ideo prius breuiter de re dicam, & statim de modo loquendi: quod ergo ad rem attinet, videntur mihi posteriora argumenta conuincere in hæretico deficientē à Fide inueniri propriam malitiam

Ad apostasiam requiritur, vt fides iam suscepta deferatur.

Dubium, Quantus esse debeat hic recessus à fide.

Prima, & cõmunior sententia.

Fundam.

sententia.

Indicium autem theoris inter prædictas sententias.

Suarez de Fide.

X

tiana

tiam apostasia eiusdem speciei, & essentia cum apostasia, quæ per Iudaismum, vel Paganismum committitur, quamvis non sit eiusdem integritatis ex parte materiæ. Probatur præter dicta, quia sicut Christianus transiens ad infidelitatem Iudeorum, vel Paganorum, præter malitiam infidelitatis, quæ habet communem cum similibus infidelibus, qui nunquam fuerunt Christiani, committit peculiarem malitiam, & iniuriam contra fidem, quam professus est: ita etiam Christianus, qui transit ad hæreticos, præter malitiam infidelitatis, habet illam peculiarem malitiam, seu gravitatem quæ committitur in desertione fidei receptæ, & ideo merito D. Thom. dicta quæst. 12. art. 1. ad tertium indefinitè, & univèrsaliter dixit apostasiam esse circumstantiam infidelitatis: probatur ergo consequentia primo, quia apostasia transeuntis ad Iudaismum, vel Paganismum non consistit formaliter in illa specie infidelitatis, sed in iniuria, quam apostata facit Fidei receptæ, seu professioni eius, & consequenter Ecclesiæ, & Christo, sed hanc eandem iniuriam facit hæreticus professioni fidei, & Ecclesiæ Christi: ergo quoad malitiam habet apostasiam eiusdem rationis: item formaliter & quæ recedit à tota fide, & ideo totam amittit, & consequenter à Deo apostatatur; differentia vero in maiori, vel minori materia fidei accidentaria est, neque potest essentialiter diversitatem facere, quod etiam ex dictis sect. præcedenti ostendi potest: diximus enim tres infidelitates non distingui specie essentialiter, etiam si in materia habeant illam eandem inæqualitatem: ergo eadem ratio est in apostasia, supposito quod deformitas eius etiam invenitur in recessu à Fide per hæresim, quod videtur evidenter probatum.

Hæreticus etiam proprie dicitur apostata.

Per antonomasiam, & principaliter sunt apostata, qui à Christo recedunt.

6. Sic ergo declarata re ipsa non est de nomine cõtendendum, nec videtur posse negari, quin nomen apostatæ sub aliqua vera, & propria significatione hæretico conveniat: propter authoritatem vero tot Doctorum dicere possumus apostasiam per antonomasiam in solis illis inveniri, qui Christum negant, generice vero sumptam etiam ab hæretico committi, vel aliter distingui potest, ut apostasia quidem sit à Christo, & hæc conveniat Pagano, & Iudæo, alia vero ab Ecclesiâ, & ab eius obedientia, & vñ one, & hæc etiam in hæreticis reperitur: ut vero distinctius procedamus, de utraque ngillatim dicemus.

Utrum Apostasia sit species distincta à Paganismo, & Iudaismo, & Opinio.

Eius fundamentum.

7. In secundo puncto de comparatione apostasie ad infidelitatem, an sit species eius, multi ex Doctoribus allegatis affirmant apostasiam totalem, seu per antonomasiam dictam esse speciem infidelitatis distinctam à Iudaismo, & Paganismo, unde ne species infidelitatum multiplicent, dicunt esse hæresim. Ita sentiunt Caiet. Banh. Aragon. Valentia, & Sanchez. & Azor locis citatis, & Sylvest. verbo *Apostasia* in principio, & late Castro, ubi supra, qui etiam citat Ochamum 1. part. Dialog. lib. 4. cap. 11. citant etiam D. Thomam, sed immerito. Fundantur primo, quia iste apostata est hæreticus, quod non habet similis infidelis non apostata: ergo est hæreticus ratione apostasie: ergo apostasia ipsa est hæresis. Antecedens probatur primo. Quia poenæ hæreticorum comprehendunt huiusmodi apostasiam, ut est certissimum ex communi omnium sententia, & ex cap. contra Christianos, de hæreticis in 6. & ex lege 2. cap. de apostatis: ergo talis apostata est hæreticus. Secundo, quia hæresis consistit in abnegatione Fidei receptæ, sed hic deserit fidem receptam: ergo est hæreticus. Tercio argumentatur Castro, quia alias sequeretur, hæreticum augendo hæreses fieri non hæreticum, quod videtur absurdum. Quod si quærat an in huiusmodi homine sint duæ species infidelitatis, Caietan. affirmat, Banhes autem dicit esse tantum infidelitatem hæresis, quia apostasia in tali homine est vltima differentia contrahens infidelitatem eius ad speciem hæresis.

8. Nihilominus dico talem apostasiam non esse speciem infidelitatis, neque hæresis. Ita tenet Canonistæ cum Turrecremat. quos sequitur Simanc. tenuit etiam Sylvest. verbo *hæresis*, 1. quæst. 2. Angelus verbo *apostasia*, & Paludanus in 4. dist. 13. q. 3. & Alexand. Pezant. 2. 2. ad quæst. 12. D. Thomæ disp. sua 1. & aliqui Canonistæ cap. 7. de apostatis, & est clara sententia D. Thomæ quæst. 12. art. 1. ad tertium, ubi ait apostasiam non esse speciem infidelitatis, sed esse posse circumstantiam specierum infidelitatis. Et probatur primo, quia talis apostata non est hæreticus: ergo nec peccatum eius est hæresis. Probatur ante. edens ex communi descriptione Patrum; dicunt enim hæreticum esse, qui sub homine Christiano, & retinendo Christi confessionem, fidem eius corrumpit; at vero iste apostata omnino deserit Christum, & nomen, ac fidem eius; ergo non est hæreticus. Maior est D. Augustini libro 18. de ciuitate Dei cap. 51. & D. Gregor. lib. 3. moral. cap. 14. alias 18. & sequentibus, & libro quinto, capite decimo, alias vñ decimo, & lib. 23. capit. primo, & Ambrosius Origen. ad Tit. 3. & Bedæ Lucæ septimo, & tradit expresse D. Thom. 2. 2. quæst. vñ decima, articulo primo, dicens hæresim esse speciem infidelitatis pertinentem ad eos, qui fidem Christi profiteantur, sed eius dogmata corrumpunt, & ex sect. superiori id etiam satis constat. Secundo probatur à priori, quia apostasia non consistit in noua fidei abnegatione, vel errore; nam Iudæus apostata non magis negat fidem Christi, nec plures errores habet, quam Iudæus non apostata: ergo propter apostasiam non habet speciem infidelitatis. Probatur consequentia. Quia infidelitas directe opponitur veritati fidei, & testimonio primæ veritatis. Tercio, quia in hæretico apostata illa apostasia, quam committit, non spectat formaliter ad malitiam hæresis, sed ad aliquam gravitatem eius, quam statim declarabo: ergo neque apostasia totalis in Iudæo, vel pagano ad hæresim spectat. Probatur consequentia, quia apostasia vtriusque est eiusdem rationis quoad speciem, ut paulo ante probavi. Denique illa apostasia non potest esse noua species integra infidelitatis, quia præcise spectata non opponitur specialiter virtuti Theologicæ, aut primæ veritati, ut probavi, nec etiam potest esse differentia contrahens alteram infidelitatem, ut dicebat Banhes, quia alia infidelitas est in specie vltima Iudaismi, vel Paganismi; nam est eiusdem speciei cum simili infidelitate alterius hominis non apostatæ, species autem vltima non est vltierius contrahibilis.

9. Neque obstat fundamentum contrariæ sententia; nego enim illum hominem esse proprie hæreticum, sed Iudæum apostatam, vel paganus apostatam, & ita solent sub his appellationibus condemnari. Unde ad primam probationem concedo istum incurrere poenæ hæreticorum, quia non sunt latæ solum contra hæreticum, ut hæreticum, sed contra omnem apostatam infidelem, ut rectè dixit Cano, & sumitur ex toto titulo Cod. de Apostatis. Vnde in dicto cap. contra Christianos, non dicitur hic apostata hæreticus, sed dicitur puniendus tanquam hæreticus. Ad secundam probationem nego hæresim consistere in negatione Fidei iam receptæ ex parte subiecti, quod iam supra probavi, & tractando de hæresi iterum dicam. Ad tertium inconueniens, quod Castro inferebat, dico nullum esse reputandum, quia sicut puer crescendo definit esse puer, nam fit vir; ita quoque hæreticus crescendo in infidelitate non definit quidem esse infidelis, potest tamen definire esse hæreticum, quia fit peior, quam hæreticus, si ad negationem Christi peruenit.

10. Concludimus ergo apostasiam esse circumstantiam quæ aggravat quamcunque speciem infidelitatis quando illi adiungitur, quæri autem potest, an sit circumstantia mutans speciem. In quo dico bre-

vera sententia.

Probatur.

Probatur.

Probatur.

4.

Solutio fundamentum contrarium innum. 7.

Inter hæresim.

Quid addit apostasia ut per alias infidelitatis speciem.

Ratio dubi-
tandi pro par-
te affirmate.

De infidelibus non apostatis quoad peccata eorum.

Apostasia du-
plex in infide-
lib. reperitur.

*Virum in his infidelibus possit interdum caren-
tia fidei à peccato infidelitatis excu-
sari.*

Suarez de Fide.

Prima sententia negans.

- Disg. is fed.
2, 10, 5, & 6.

Fundamen-
tum huius
sententiae.